

4. † R. P. Carolus Philippus Wright (1878-1947)

Carolus Wright, qui tres praecedentes confratres aetate superavit, natus est festo Epiphaniae 1878 in suburbio Londini Clapham ex honestis, sed acatholicis parentibus; sed cum ad aetatem 17 vel 18 annorum pervenisset, ope Patrum nostrorum ad veram fidem conversus est, eodem tempore aliam gratiam insignem a Deo consecutus, nempe religiosam et sacerdotalem vocationem in nostra Congregatione.

Per duos tresve annos studiis in nostro iuvenatu vacavit et absoluto rite tirocinio vota Redemptoristae emisit 15 Aug. 1899. Studiis philosophicis et theologicis extra patriam in Beauplateau et Mautern peractis, post redditum in Angliam sub directione suorum Superiorum cum alacritate se dedit operi missionum. Praeditus voce forti, praedicabat vehementissime — ore rotundo et toto pectore — multas missiones et haud paucos peccatores Deo reconciliavit. Aequo assiduo erat in exponenda acatholicis doctrina catholica. Etiam monialibus frequenter exercitia spiritualia dabat.

In primo magno bello exercitui ut cappellanus erat adiunctus, de quo tempore poterat postea res mirabiles et paene incredibiles narrare. In secundo bello nuper finito non erat quidem cappellanus stricte dictus, sed saepe in castris americanis prope Bishop's Stortford audiebat confessiones militum et Missam coram eis celebrabat. Una vice cum miltibus iter fecit in Indiam.

P. Wright auctor est versionis anglicae nostrae Regulae anni 1936. Caritate plenus erat, praesertim erga aegrotantes, quare etiam confratribus erat carissimus. A. 1942 ex infirmitate cordis laborare coepit, qua perdurante miraculam patientiam ostendit et saepius sacramentis ultimis munitus est. D. 11 Apr. 1947 in domo Bishop's Stortford animam suam Deo tranquille reddidit. Eius funus celebratum est cum magno concursu populi. R. I. P.